



KOMPT HER ZV

MIR ALLE DIE IHR MICH ESSEIG
HERRS GOT IST DER
HERR WILLECHEROVICKEN. MA. II.


A.
Dann v.
Hör eine schaffe
Hör meine stim
und ich kenne
sie und sie gē mir
und ich bejaenda
ewige leben und
niemand wird
sien und meiner
hand wisse

VND BLEADEN SHID



31





HENRICI MOL-
LERI HESSI
IMAGINVM
LIBER.



Excusus Dantisci in offi-
cina Iacobi Rhodi.
1566.

De abusu nominis Poëtae.

Magnus Alexander ne quis se, præter Apellem
Pingeret, edictum per sua regna dedit.
Idem Lysippum præter, se sculperè quenquam
Noluit: Artificum nomina pondus habentis
Se tamen est passus malè natis versibus, effrons
Chævilus inculto quos dabat ore, cani.
Sic etiam nostro Magnates tempore pingi,
Et fingi, solida non nisi ab arte volunt,
Sed quocunq; sinunt scribi sua nomina versu,
Nec qua sit scriptus dexteritate vident.
Cur quoq; Pelleum non hinc imitantur Alumnus,
Et simili versus conditione probant?
Proq; malis colaphos dant, proq; insignibus aurum?
Non equidem Vatum copia tanta foret.
Non ita versifices insulsis versibus orbem
Insicerent, artem polluerentq; sacram.
Nunc si quis versum malè consuit, iste poëta est.
Hinc Anis est hodiè rara, Poëta bonus.



HENRICI MOLLERI
HESSI

IMAGINVM LIBER.

Ad Magnificum & genero-
sum Dominum Achatium à Zema,
Palatinum Pomerellie, Capita-
neū Meuie, & heredē Kirs-
burgi, &c. Dominum
gratiosum.

Nobilis & præstans Zemiane stirpis, Achatii,
Gloria, Prusiacæ maxime gentis honos,
Cum Dantiscanam volitaret nuper in urbem,
Et faceret certam fama diserta fidem,
Quod tibi mandasset Diui Clementia Regis
In Pomerelliacis frenis regenda plagis:
Nemo tibi non est tantum gratatus honorem,
Ampla Palatini qui tibi iura daret.
In graue magnifico qui te splendore theatrum
Poneret, illustri præficeretq; choro.
Illa pias igitur mouit quoque fama Camænas,
Protinus vt cuperent per decus ire tuum,
Virtutesq; tuas super æthera ferre canendo,
Vt chorus Heroum laudibus ille fauet.
Ast oneri tanto quia se non esse viderent,
(Res grauis Heroum condere facta) pares.

IMAGINVM.

Se tamen vt summo Zemianæ stirpis honori,
Atque fauere tuo, publica signa darent:
Laudibus hunc voluere tuis inscribere librum:
(Principibus Musæ talia dona ferunt.)
In quo multorum cum fiat mentio, quos tu
Sanguine, quos factis, quos & honore referis.
Credibile est, munus tibi non insuaue futurum,
Suaue noui certè muneris omen erit.
Quod tibi virtutum cumulus, generisq; vetustas,
Iudiciumq; sacri Regis amorq; tulit.
Si tu debilibus dederis noua robora Musis,
Nominis vt possint pondera ferre tui.
Dete, deq; tuo cantandi sanguine, magnum
Viribus infractis aggredientur opus.
Interea placidis hæc vultibus aspice, nomen
Sic Musis sacrum desinet esse tuum.
Cum moderata tuis feliciter oppida sceptris
Amplius haud rapidis Istula radet aquis.

Ad imaginem Christi.

Hæc passi quicumque vides insignia Christi,
Flexibiles ferulas, pendula flagra, crucem.
In manibus rigidi vestigia liuida ferri,
Quæq; caput tristi cariceserta premunt.
Esto memor scelerisq; tui, culpaq; sequacis,
Propter quam Satanae præda futurus eras.
Ni fieri voluisset homo, carnemq; caducam
Induere, atque vicem Christus obire tuam.
Hinc nisi & indè trahi vincetus, sannisq; notari,

Ni

LIBER.

Ni roseis colaphos, sputaque, ferre genis.
Ni spinis pungi, ni saucius esse flagellis,
Ni toto plagas corpore ferre graues.
Ni portare trabem, peragique manusq; pedesq;
Denique ni mortem nudus adire crucis.
Ut ruptis Satanae vinculis te solueret, à quo
Hei in seruitium flebile raptus eras.
Utq; reconcilians patrem, te redderet astris,
Ex quibus ingenti crimine lapsus eras.
Huic igitur toto grates age pectore, quo nunc
Auspice, ab Inferno liber, ad Astra redis.

Ad eandem ex Augustino.

Inspice pendentis super arbore vulnera Christi,
Inspice sanguineas emorientis aquas.
Contemplare animo precium redimentis, & alte
Mente cicatrices, quas rediuuius habet.
Eccè caput placidis inclinat ad oscula labris:
Ut complectatur, distrahit eccè manus.
Cor patet, ut pateat, nostri quo flagret amore:
Ut redimat, toto corpore cæsus obit.
Hæc per pēde, tuis hæc sensibus imprime, cordi
Sic infigatur totus ut ille tuo.
Ceu totus pro te fuit in cruce fixus acerba,
Nēpe caput, palmas, pectus, utrumque pedē,
Ut sic inq; tuo requiescat pectore totus,
Totus marmorea ceu requieuit humo.

In Imaginem Aurei Portugallici.

A iij Portugala

IMAGINVM

Portugallenses celant incude monetam,
 Aurea quæ fuluo monstrat in orbe crucem.
 Hanc lacero Christus portauit corpore, spinis
 Saucius, & plaga membra caputq; graui.
 Christus in hac clauis palmasq; pedesq; peractus,
 Pectore traiectum vulnus hianse tulit.
 Quo nos, quo Christus pereuntia sæcla redemit,
 Sanguis permixta, de cruce fluxit, aqua.
 Autor in hac vitæ flexa ceruice pependit
 Mortuus, vt diuæ frangeret arma necis.
 Si rabies igitur te Sortis iniqua fatigat,
 Rebus erit, Christi crux, medicina tuis.
 Si malè commissi te pungit criminis error,
 Criminibus, Domini crux, erit ara tuis.
 Liberat à seuis miseros cruciatibus artus,
 Aegraq; presenti corda quiete leuat.
 Exulibus patriam, profugis largitur Assylon,
 Monstrat inexhaustæ dulce salutis iter.
 Exonerat turpi præcordia tristia labe,
 Abstergit maculas, expiat omne scelus.
 Peccati sordes abolet, Satanæq; furorem
 Frenat, & infernæ tartara vincit aquæ.
 Horrificæ frangit tormenta minacia Mortis,
 Quicquid & aduersum nos gerit arma, domat.
 In fuluis igitur benè Portugallia nummis
 Hæc facit auratam verba fouere crucem.
 Hoc signo vinctes: Erit hinc victoria, pendet
 Si tua de Christi, spesq; fidesq; Cruce.

LIBER.

In eandem.

Non tam culpa nocens, damnū tam flebile non est,
Tam neque cura grauis, tam neq. grande scelus;
Noxia tam non est clades, tam morbida pestis,
Passio quam Christi non superare queat.
Cruce Christi, Satanam, mortem, peccata, reatus,
Inferni portas, & mala cuncta premit.
Hinc benè: In hoc signo vinces: hic Aureus inquit,
Letari in Christi nos decet ergò cruce.

AD IMAGINES APO-
STOLORVM CHRISTI.

S. Petri.

Retibus est solitus Galileo in littore pisces
Ducere, Bethsaida natus in vrbis Simon.
Qui tunc est Petri primum cognomen adeptus,
Ut iam Christe tuus factus alumnus erat.
Hic est voce fidèque simul confessus aperta,
Quod Petra sit viui Filius illa Dei.
In qua ceu stabili fundata Ecclesia rupe,
Nil Satanae aut Mūdi comparis arma timeb;
Hic simul Amramiden, vatemq. audiuit Eliam
Dulcibus ad Christum verba referre sonis.
Ad quem per liquidas auido pede transijt vndas,
Cum quo constituit fata suprema pati.
Fortibus hoc equidem verbis iactabat abundè,
Sortis et ambiguae tempore, nullus erat.

A iij

POE

IMAGINVM

Post tamen aetherei firmatus numinis aura
Esset ut à Christo pascere iussus oves.
Nō modo multiplices Christi benefacta per oras
Extulit, innumeris distribuitq; viris:
Sed quoque defunctos dulces reuocauit in auras,
Membraque splendori reddidit ægra suo.
Hanc Euangelium signantem sanguine vidit
Sub rigido affixum Roma Nerone cruci.

S. Andreae.

Bethsaidæ satus Andreas, fraterq; Simonis,
Qui meruit Petri nomen habere, fuit.
Principioq; suis Baptistæ rebus adhæsit,
Illius addicta mente secutus iter.
At digitis Christū monstrante Iohanne duobus,
Et grauiter tales adijciente sonos.
Eccè Dei, delicta hominum qui sustinet, Agnus,
Quiq; humana graui crimina morte luet.
Deserit Andreas illum, Christoq; repente
Iungitur, huic fratrem consociatq; suum.
Ac Euangelij est industrius inde Minister
Factus, & in Scythica tradidit illud humo.
Atque p̄ Aemathia simul, atque p̄ oppida Ponti,
Erudyt dociles in pietate viros.
Quaq; videt fontes feralis Achaia Patras,
Fortiter ob Christum mortuus ille fuit.
Nam per tres rigida suspensus in arbore lucas,
Hæc tormenta animo viuus quante tulit.

Signaq;

LIBER.

Signa q̄ proluxi non edidit vlla doloris,
Sed per eos docuit te quoque Christe dies.

S. Iacobi Maioris.

Vna fuit Salome fabri Germana Iosephi,
Quem populus Christi credidit esse patrem.
Ex illa satus est Zebedæo patre Iacobus,
Quem sacra Maiorem lingua vocare solet.
Hic vt Apostolici factus pars agminis esset,
Impiger buc illuc cœlica verba tulit.
Haudq̄ Palestinis modò propagavit in oris,
Quas homini Christus promeruisset opes.
Sed quoque ad occidui gentes penetravit Iberi,
Hesperioque piam sparsit in orbe fidem.
Et studio ad Christum terras conuertit & vrbes,
Fulget vbi auriferi diues arena Tagi.
Herodis tandem rigido percussus ab ense,
Autor vt infandæ seditionis, obit.
At Solymæa suo prætoriam sanguine spargens,
Truncus ad Hispanos indè refertur agros.
Et Compostella, fiunt vbi festa quotannis
Reliquijs, sacra contumulatur humo.

S. Iohannis Euangelista.

Ex Salome natus Zebedæo patre Iohannes,
Squamigerum lino cepit & ære genus.
Hunc est præ reliquis magno complexus amore,
Rebus & adiunxit Christus vbique suis.

IMAGINVM

Hunc ad colloquium montis mirabile duxit,

Hunc voluit iusto Pascha parare die.

Huncq; sinu fouit supremae tempore caena,

Adq; sui horrendum duxit Agonis opus.

Hunc Mariae curam quoque iussit habere parentis,

Fatus ab excelsa, saucius ora, cruce.

Post Ephesi exposuit Christi benefacta Iohannes,

Exilio Patbmon nobilitatq; suo.

Et cum Cerintho pro Christi pugnat honore,

Illud & hunc Verbum fortiter esse probat.

Omnia sunt cuius virtute creata potente,

Hoc Verbum proprijs viribus esse Deum.

Secula qui fuerit consors ante omnia Patri,

Parq; Patri nullo desinat esse die.

Denique vixisset lustra vt tersena Iohannes,

Selus obit sicca morte, Ephesiq; iacet.

S. Philippi.

Est quoque Bethsaida pgnatus in vrbe Philippas,

Quam Galilea suo gurgite stagna rigant.

Hic est, cui Christus cupienti cernere Patrem,

Qui me cernit, ait, cernit & ille Patrem.

Factus Apostolici pars non in gloria cætus,

Nobile sanguinea morte probauit opus.

Cum siquidem Scythicas docuisset alacriter vrbes

De cruce, deque tuis optime Christe bonis.

Ac Asia tandem peragraret regna Minoris,

Incidit in vani vincula dura gregis.

Cui satis haud visum est, illum suspendere ligno,

Adderet

LIBER.

Adderet ad miseram ni quoque saxa cruce.
Sic cum bisdenos hinc indè fideliter annos
Propagasset opes maxime Christe tuas.
In trabe suspensus, lapidū quoque verbera constans,
Inq̄ fide, inq̄ tui cognitione, tulit.

S. Bartholemæi.

Dicitur in Syria regali sanguine natus
Iusticiæ Christi Bartholemæus amans.
Cuius apud faciles foret vt post nuncius Indos,
Non nisi de Christo nuncia vera tulit.
Cur nasci voluisset homo, cædique, patique,
Et fieri in tristi victima sacra Cruce.
Quæ diuina etiam cum per miracula probaret,
Traxit ad integram regia corda fidem.
Regis enim natæ dubio languore iacenti
Attulerat gratam Bartholemæus opem.
At Idolorum fatuas vt frangeret aras,
Regis ab impuro fratre peremptus, obit.
Huius in Armenia iacet vrbs Albana furoris
Conscia, vbi primum traditus ille cruci est.
Indèque detracta cute despoliatus, in alto
Fassus equo Christum sed tamen ipse fuit.
Abstulit huic igitur caput à ceruice Tyrannus:
Hunc triplici fato quis cecidisse neget?

S. Thomæ.

Inter Apostolicum Thomas non vltimus agmen,
Pagina quem Didymi nomine sacra notat.

Mit

IMAGINVM

Hic ad Olympiacum quæ sit via recta parentem
Anxius à Christo dum rogat, ille refert.
Ipsè ego sum via, sum verum, sum vita, meumq;
Ad patrem, ni sim Dux ego, nemo venit.
Hic Christum tandem Dominūq; Deūq; salutans,
Credit eum nigrae vim superasse necis.
E terraque tulisse caput, vestigia postquam
Cuspidis in Christi pectore aperta videt.
Liuidāque in manibus plantisq; foramina magni
Vulneris, & digitos ponit in illa suos.
Sed post finitimis celebres cum gentibus Indos,
Impauida Christum voce fidēque docet.
Cumq; ibi multiplices Idoli ingentis abusus
Destrueret, turpes argueretq; dolos.
Persida transfixit resolutum lancea pectus
Illius, à Mystæ fortiter acta manu.

S. Matthæi.

Publica Matthæus dum vectigalia curat,
Hunc ad se patrio Christus amore vocat.
Venit enim Christus, non ut sine crimine iustos,
Sed peccatores ad meliora vocet.
Ergo suam puro Matthæus pectore labem
Exiit, & Christi est spontè secutus iter.
Hinc Evangelio dociles instruxit Ebræos,
Inq; pium Christi rettulit acta librum.
Et populos Asiæ docuit, Ponti q; sequaces,
Aethiopasq; sacra bis duo lustra fide.
Hic mirabiliter Regem conuertit Egyptum,

CUR

LIBER.

Cum tota Christum nosset ut ille domo.
Illius heredem siquidem iam morte solutum,
Ex Stygia ad viuos hic reuocauit aqua.
Sed Regis post fata cadit Matthæus ad aram,
Et media exanimis truncus in æde iacet.
Cum prohiberet enim natam ne Regis haberet
Hirtacus, hoc furtim colla secante, perit.

S. Iacobi Minoris.

Filius Alphaei, Maria genitrice, Iacobus,
Qui Minor in sacra lege vocatur, erat.
Nominat hunc fratrem Domini scriptura, Sorores
Illius siquidem mater & huius erant.
Huic quoque deuicta soli se morte videndum
Obtulit, è sacra Christus ut iret humo.
Hic foret in Solyma cum factus Episcopus vrbe,
A probitate decus iusticiaque tulit.
Ut Petrus angelica vinclis virtute solutis,
Exierat foribus carcer aperte tuis:
Nunciat huic illud: Christique triennis alumnus
Paulus ad hunc alia de regione venit.
Hic ut terdenis docuisset alacriter annis
De cruce, deq; bonis Christe benigne tuis.
Deicitur cathedra recutita turbine gentis,
Fullonisq; graui fuste subactus obit.

S. Simonis.

Christiparæ germana soror, Cleophasq; Iosephi
Frater, in vnanimi concubuerunt toro.

Vndè

IMAGINVM.

Vndè Simon Cana Galilææ natus in vrbe,
Publica Zeloten quem monimenta vocant.
Hic pius æternæ factus quoque Præco salutis,
Quam generi humano mors tua Christe tulit.
Agnitione Dei septemplicis oppida Nili
Imbuit, & gentes Persia magna tuas.
Vtq; Palæstinas erat indè reuersus ad oras,
Suscipit officium diue Iacobe tuum.
Præeat in Solyma sanctis vt cætibus vrbe,
Consilijsq; pios & bonitate iuuet.
Hæc dum ritè facit, tandè cõprenditur insons,
Aq; fero in duram figitur hoste crucem.
Vt sex lustra senex, & centum duceret annos,
Hoc quo Traianus tempore Cæsar erat.

S. Iudæ Thaddæi.

Hunc etiam Cleophas Maria cum coniuge Iudææ
Ex infallibili progenuere toro.
Hunc quem Thaddæum dicunt cognomine Iudam,
Non hunc qui titulos Iscariotis habet.
Proditor iste fuit Christi, colloque pependit,
Hic fuit illarum Præco fidelis opum.
Quas patris æterni soboles & splendor, in orbem
Aetherea secum Christus ab arce tulit.
Harum participes cum multas fecerat oras,
Incidit in Mystas Persia sæua tuos.
Et misera illorum manibus iugulatur iniquis,
Cum geminos sacro vicerat ore Magos.
Argueratq; dolos, & inanes fortiter artes,
Quas ea vesane turba furore colit.

LIBER

S. Matthiae.

Bethleemitana, Christus qua natus, in vrbe
Hic quoque Matthias dicitur esse *sanctus*.
Inter & arcanos verae pietatis alumnos,
Et consors aditus Christe fuisse tui.
Iscariotis erat cum iam disruptus Iudae
Venter, & in nudum fuderat exta solum.
Hic ad Apostolicos est sorte receptus honores,
Esset in illustri ne quid inane choro.
Indè pie docuit crucifixi oracula Christi,
Per fora, per vicos, quos Galileus habet.
Perq; Palaestini medias cognominis vrbes,
Adq; Dei multos regna docendo trahit.
At cum per sex lustra potens, ternosq; per annos
Præco tua fuerat maxime Christe necis,
Præbuit horrenda tandem quoque colla seturæ,
Et tua signavit sanguine dona suo.

In imaginem D. Sigismundi I.

Regis Poloniae.

Hæc facies, hoc pectus erat venerabile Regis,
Cui tulit haud vllum Sarmatis ora parem.
Nempè Sigismundi primi, qui corpore firmo
Vixit honoratus tempora longa senex.
Sex annos siquidem supra tot lustra peregit,
Splendida cœlestis quot tenet astra Draco.
Atque quaterdenos, vnumq; potenter in annum
Sarmatici gessit sceptræ verenda soli.

Quam

IMAGINVM

Quam belli simul & pacis benè nouerit artes,
Asserit in fragili publica fama fide.
Hinc Victor toties: hinc tam pius atq; benignus
Tamq; fide insignis iusticiâque fuit.

In imaginem D. Sigismundi Augusti Regis Poloniae.

Pectus & os cuius praesens ostendit imago,
Summus Sarmatiae est ille potentis Apex.
Nempè Sigismundus Boreis Augustus in oris
Qui gerit inuicta regia sceptrâ manu.
Qui dominans cunctis est in regionibus Haeres,
Istula quas clavis Dunâque transit aquis.
Pacis & Armorum studijs, animoque manuque
Atque fide similis iusticiâque patri est.
Det Deus ut patriae sit tempora longa superstes,
Et celebri Diuum vincet honore patrem.

In imaginem D. Achatij à Zema, Palatini Pomerelliae &c.

Hac faciem pictura refert & pectus Achatis,
Quem decus agnoscit stirps Zemiana suum:
Talis erat, Pomerelliacas ut recta per oras
Iura Palatinus, Rege volente, daret.
Pacis amans, armisq; potens, laudabilis Heros,
Spesq; Borussiae magnaq; fama soli.
Iusticia celebris, referens virtute parentem,
Hunc veluti facie nominibusq; refert.

LIBER.

Sit felix, reramq; diu moderetur habenas,
Et placido Clarias protegat ore Deas.

In imaginem D. Constantini Ferberij,
Consulis Dantiscani.

Hæc Constantini facies, hoc nobile pectus
Ferberij: paucis hæc monuisse, sat est.
Ecquis enim non Ferberij memorabile nouit
In Dantiscana Consulis vrbe decus?
Quod non sit Patriæ tantum columenq; paterq;
Ingenio, lingua, iudicioq; grauis.
Sed quoque Pierij defensor & altor honoris,
Propositiq; autor Curia sancta tui.
Cum Gedani extrueres sacris habitacula Musis,
Atque Iuuentuti grata Lycea tua.
Huic Capiti faciles imponantserta Camæna,
Hoc cumulet summo Pectus honore Deus.

In imaginem D. Georgij Clefeldij
L.L. Doctoris, Consulis
Dantiscani.

Pectore talis erat, facieq; Georgius, ingens
Ille Clefeldinae splendor honosq; domus.
Vt moderaretur Gedanenses Consul habenas,
Ordinis excellens fama decusq; sui.
Efformare quidem potuit manus æmula corpus,
Ast animi efformet qui decus, ecquis erit?
B Exprimis

IMAGINVM

Exprimit hoc numeros feliciter ipse per omnes,
Consilijs, lingua, sedulitate, fide.
Ritè quibus patriæ seruit peregræque domique,
Indèque perpetuæ nomina laudis habet.

In imaginem D. Iohannis Brandisij Consulis Dantisani.

Vt foret in Gedana Consul spectabilis vrbe,
Atque in Brandisia gloria summa domo:
Ille potens virtute, fide, meritisq; Iohannes,
Ore, genis, oculis, tam venerandus erat.
Ceu placida præsens ostendit imagine vultus:
Hunc super in terris fac Deus esse diu.
Totius in patriæ decus, incrementa, salutem,
Publica res hilari floreat vnde statu.

In imaginem D. Iohannis Præti, Equitis Aurati, Consulis Dantisani.

Hæc pictura refert pectusq; caputq; Iohannis,
Quem genuit claro sanguine Præta domus.
Huic meruit Virtus, grauitas, prudentia, candor,
In patria celebrem Consulis vrbe locum.
Quin et equestre decus, quod honesto fulgurat Auspicio
Et titulum claræ Strenuitatis habet.
Hoc caput, hoc pectus, civili plena decoro,
Exuperent Pylios inuiolata dies.

AD

LIBER.
AD IMAGINES DUCVM
ET ELECTORVM SAXONIAE.

Ludolphi Ducis Saxoniae.

Nobilis Angaria Dux, Rugorumq; potentum,
Brunonis soboles clara, Ludolphus erat.
Hic in Saxonia generosis dotibus amplum
Promeruit Magni nomen habere Ducis.
Fortibus excellens animis, at pacis in armis,
Et memor in tanto semper honore Dei.
Huius, & etherae magno pietatis amore,
Sustinuit colles Roma videre tuos.
Plenaque relliquis loca deueneratus, inanem
Ad populos dextram non tulit inde suos.
Osibus & Latio sacris à Flamine lignis
In patriam redijt nempe grauatus humum.
Istaq; dona sacris Vestalibus obtulit, arctat
Qua Gandersemios vallis aquosa lares.
Quos cum sede sacra fundauerat ipse, quieto
Denique postremos clausit honore dies.
Vxoremq; reliquit Odam, quae firmiter annos
Tres, & ter septem vixit Olympiadas.

Brunonis Ducis.

Bruno potens armis, factisq; ingentibus Heros,
Multa sub assiduo Marte pericla tulit.
Illotas sacro baptismatis equore gentes
Aggressus valido milite saepe fuit.

B 4

Hasq;

IMAGINVM

Hasq; indefessis exercuit impiger armis,
Nec raro in celerem compulit ire fugam.
Hic Vrbi nomen dedit atque exordia primus,
Quam lauat effusis Oera vadofus aquis.
Tunc vt sex irent à partu Virginis anni,
Quinaq; cum lustris & tria secla tribus.
Ast vt hyperboreo seclusos æquore Danos
Strenuus incautis aggrederetur equis.
Impeteq; illorum, quos sæpius antè fugarat,
Ad maris horribiles reprimeretur aquas.
Cum merso salsis in fluctibus agmine perdit
Biffenos Comites, Pontificesq; duos.
Et simul ipse perit, dignus meliore sepulchro:
In pelago est magnos triste iacere Duces.

Othonis Ducis.

Saxonas vt iusto regeret moderamine, Princeps
Laudatus, sapiens, atque modestus, Otho.
Ibant quingenti seclis cum quattuor anni,
Post sacra natalis tempora Christe tui.
Vandalicas acie fudit victrice cohortes,
Victasq; impositum ferre coëgit onus.
Cesar vt occiderat Ludouicus, ad ardua regni
Munera solenni more vocatur Otho.
Ob pia virtutum monimenta supremus ad illum
Est rerum, Imperio iudice, latus Apex.
Quem licet abiceret maturis debilis annis,
Et tantas à se spontè moueret opes.
Francorumq; Duci, fuit hoc qui nomine primus,
Conrado

LIBER.

Conrado imperij sceptrum repulsa daret.
In tamen ipsius manibus suprema potestas
Stabat, & imperio Caesaris instar erat.
Sed quæ constanter reiecerat ille, sepulto
Filius Henricus Casare sceptrum tulit.

Henrici Aucupis.

Aucupis Henricus Dux est cognomen adeptus,
Quod capere allectas arte solebat Aues.
Casar ut hic gereret regalia sceptrum, rebellem
In Bauarum magnis viribus arma tulit.
Sed tamen edomuit verbis, sine sanguine, ut ultro
Henrico victas tenderet ille manus.
Indè quaterdecies Hunnorum millia stravit,
Martisburgenses quæ Sala radit agros.
Profligansq; tuum deuicta Boëmia Regem,
Ciuibus imposuit iusta tributa tuis.
Marchiacas etiam cum Brenni mœnibus oras,
Vandalicamq; graui robore pressit humus.
Russosq; Sclauosq; truces, cuneosq; Gothorum
Contudit, à patria detinuitq; sua.
Hic de Saxonice Dux stirpis origine natus
Imperij primus sceptrum verenda tulit.
Primus & hastate certamina ludicra pugne
Germanæ instituit nobilitatis opus.

Hermanni Billingij de Stucornia.

Cæsar ut Henricus nato moriturus Ottoni
Tradiderat regni sceptrum decusq; sui.

IMAGINVM

Et iam Cesareas Otho iurè teneret habenas,
Et varijs gereret bella coacta locis.
Vindice nunc Gallos premeret, nunc Marte Boëmos,
Nunc Latium forti Pannoniamq; manu.
Tunc Stucornensi veniens Hermannus ab ortu,
Saxonicae clarus nobilitatis Eques.
Finibus in patrijs Princeps ab Othone creatur,
Et Dux in terris splendida Luna tuis.
Armorumq; togæq; simul benè nouerat artes,
Et cunctis animi dotibus amplius erat.
His ita virtutum documentis mouit Othonem,
Ut Ducis eximij nomen opesq; daret.
Lunæburgiæ præceps Arx imminet vrbi,
Et sub ea Monachis atria structa iacent.
Illius ac horum Billingius autor habetur:
Hoc Duce, quò virtus euehat alma, patet.

Bennonis Ducis.

Contulit Hermannus, virtutum nomine, Caesar
Principis excelsi munera, primus Otho.
Alter Otho Hermannis sobolem firmavit eodem
Robore, Saxonicum constituitq; Ducem.
Benno potens siquidem generosis miles in armis,
Et virtutis amans & pietatis erat.
Stipabatq; frequens studijs & rebus Othonem,
Et pars militiae nobilis huius erat.
Indè patrem tristes vt mors rapuisset ad umbras,
Incluta defuncti munera Benno tulit.
Immotusq; fuit iusti defensor & equi,
Se.

LIBER.

Se præbens inopi diuitibusq; parens,
Vandalia gentes armis erumpere suetas,
Ac vicinorum de populare domos,
Benno suos intra fines residere coëgit,
Impositumq; pio tergo ferre iugum.

Bernardi Ducis.

Moribus à patrijs simul & Bernardus auitis.
De gener, ad patria venit ineptus opes.
Et per Saxoniam magni Ducis ardua gessit
Nomina, cum Cæsar tertius esset Ottho.
Cæsareis proavi dictis parere solebant,
Bernardus rigida mente rebellis erat.
Munifici fuerant proavi, Bernardus auarus.
Expilabat opes Saxonis ora tuas.
Turpis auaricia Princeps obnoxius, indè
Nominis amittit iusticiaeq; decus.
Dumq; suos populos grauat exugitq; tributis,
Ciuibus inuisus redditur ille suis.
Aut mouet in propria tristes ditone tumultus,
Vt fera commotus ciuis in arma ruat.
Sic vt Vandalias oneraret censibus oras,
Exigeretq; truces ille tributa viros.
Fecit vt abijcerent Christumq; fidemq; redirent
Adq; suos orta seditione Deos.

Orthulphi Ducis.

Sæpius in sobolem delicta parentis inundant,
Vt, quod hic indignè fecerit, ista luat.

B iij

Illud

IMAGINVM

Illud & Orithulpho sic contigit, ampla parentis
In decora, inq̄ auctas Jordide, vi iret opes.
Bernardi siquidem violenta grauamina, patris
Illius, vlturus Vandalus acer adest.
Afficit horrendis lugubres cladibus agros,
Et miseris captam cœdibus implet humum.
Prædas raptor agit, Christiq̄ oracla professos
Conficit, & pueros & necat ense senes.
At miser Orithulphus desertus ab omnibus, armis
Hostibus opponit nil valitura suis.
Vincitur, inq̄ pedes coniectus sæpè fugaces,
Tantum non humeris tristia vincla tulit.
Sæpius ergò necis per multa pericla volutus
Tempore non longo sceptrâ parentis habet.

Magni Ducis.

Vandalicis armis huius sunt tempore Magni
Plurima ad Arctoum mœnia capta fretum.
Occisiq̄ Duces, Christi que Ecclesia diris
Stragibus, & grauibus penè sepulta malis.
Anxietas miseros exercuit horrida Mystas,
Totâque Vandalicus terruit arua furor.
Oppida diripuit, villas deiecit, & arces,
Quod gens Holsatici sensit e gena soli.
Cumq̄ Megalburgis populus Slesuiticus oris,
Ac in Stormaricis Hammica castra plagis.
Deficit in sterili Stucornica linea Magno,
Linea ab exigui sanguinis orta viro.
Hic magnæ plerumq̄ domus, stirpesq̄ labascunt.

Es

LIBER.

Et quintum superat rara propago gradum.
Circuitusq; suos non tantum regna per orbem,
Sed quoque magnificæ nomina stirpis habent.

Lotharij Imperatoris.

Stirpe Siplenburga fuit iste Lotharius ortus,
Inclytus ex summa nobilitate Comes.
Auspiceq; Henrico, Quarti qui nomen habebat,
Est in Saxonici vectus honoris opes
At post Henrici cum robora martia Quinti
Sterneret, Imperij sceptrâ decusq; tulit.
Exigua res sæpè manu feliciter egit,
De quibus hîc non est multa referre locus.
Rhenus eas meminit, meminit Pegnesus & Ister,
Quiq; per Insubrum voluitur arua Padus.
Quin de Romanis meritis benè legibus, illis
Reddidit amota nocte situq; diem.
Inq; scholis iussit ciuilia lura doceri,
Quæ fuerant turpi puluere tecta diu.
Impulit huc Legum vindex Irnerius illum,
Obtinet æterni nominis vndè decus.

Henrici Guelphi.

Boius & illustri natus de sanguine Guelphus,
Qui celebre Henrici nomen habebat, erat.
Hic tuus in bello comes, atque in pace Lothari,
Cæsarei assertor semper honoris, erat.
Cumq; sacras regni peteret Conradus habenas,
Fusus ab hoc turma Martis ouante fuit.

IMAGINVM.

Indè tori conforz Henrico facta Lotbarij
Filia, & in dotem Saxonis ora data est.
Hic varijs victus Conradi Marchio technis,
Nil profecturis induit arma viris.
Saxonicumq; illis frustra pugnauit in hostem,
Guelphus enim stabili mansit honore potens.
Vltima dum moriens in fata Lotbarius iret,
Ambiretq; grauem Cesaris ille locum.
Tunc à Conrado proscripius, opesq; decusq;
Et ius Bauarici perdidit omne soli.
Atque venenato tandem contabuit haustu,
Quà colit antiquos vrbs Quedteburga lares.

Henrici Leonis.

Reddidit Henrico Fridericus iura Leonij
Bauariae, nomen cui rubra barba dedit.
Rursus at eiectum priuauit honore, bonisq;
In miseros nimium cum grauis esset agros.
A Luna dictos tamen & Brunone Ducatus
Cesare rettinuit contribuente Leo.
Cum prius immensa terras ditione teneret,
Quas rapidis claudunt Rhenus & Albis aquis.
Vir fuit in grauibus prestans & idoneus armis,
Et tulit ad Christi Vandala regna fidem.
Eugerat ad clarum, cui subiacet Anglia, Regem,
Cum daret, offenso Cesare, terga fugæ.
Hic Rex Henrici Leopardis arma duobus
Auget, adhuc quos stirps ampla Leonis habet.
Hæc est quæ claris hodiè dominatur in oris,
Quæ Brunonis habent nomen ab vrbe suum.

LIBER.

Bernardi Anhaltini.

Vt Leo priuatusq; bonis ad flumina Rheni,
Atque loco, offenso Cæsare, motus erat.
Ortus Anhaltinæ Bernardus origine gentis,
Accipit expulsi frena locumq; Ducis.
Accipit auspicio Friderici hæc munera primi,
Herpibolis facti conscia cuius erat.
Accipit Imperij geminos Marscallius enses,
Sertaque de folijs inclyta Ruta tuis.
Vandalica contra violenta examina gentis
Bella triumphali gessit acerba manu.
Quam tandem valido feliciter impete fudit,
Albidos ad ripam qua Viteberga iacet.
Deuictasq; suis adiecit finibus oras,
Hoc fuit exitium Vandale dire tuum.
Mansit in Ascania decus Electoris & enses,
Quadraginta annos & duo secla, domo.

Alberti Electoris.

In patris Albertus claros succedit honores,
Et sit de septem pars veneranda viris.
Quos apud Imperij ius, optandique potestas
Cæsaris, & summi perstat honoris Apex.
Impiger infestis fuit hic bellator in armis,
Sæpèque deuicto nomen ab hoste tulit.
Hic ex Christiadam collectas gente cohortes
Per rapidas, seuum trans mare, duxit aquas.
Moeniq; expugnans, que Solis nomen habebant,
Abstulit

IMAGINVM.

Abstulit indè caput Barbara diua tuum,
Hic, Vitebergensi qui primus in vrbe resedit,
Ex Electorum posteritate, fuit.

Adelberti Electoris.

Imperij Cesar cum sceptris Rodolphus haberet,
Summus Habispurgæ gentis & arcis honor,
Austriaci sunt vnde Duces, & nomina Regum,
Teutonici gestant qui modò sceptris soli.
Tunc hic Adelbertus princeps Elector ad Albim,
Saxonie dominus latipotentis erat.
Et sibi coniugio prognatam Cesare duxit,
Quæ meritò Hagnetis nomine dicta fuit.
Cumq; hac pro thalami Comitatum dote Brönsensem,
Atque Palatini Saxonis arua tulit.
A Madeburgensi superatus milite, vulnus,
Quæ stant Achouie mœnia parua, tulit,
Exuuiasq; tibi tandem Viteberga reliquit,
At titulos nato frenaque clara suo.

Rodolphi Electoris.

Stirpis vt Ascanie soboles generosa Rodolphus
Saxonici gereret nomen & arma Ducis.
Tristis erat concussa graui Germania lite,
Augustos inter quæ fuit orta duos.
Hæc Ludouicus atrox, illac Fridericus agebat,
Damnâque Teutonicis rebus vterque dabat.
In Madeburgiacos ciues lis scæua Rodolphum
De Gatterstebijs extimulabat agris.

LIBER.

In ciues igitur tandem mouet arma superbos,

Opponitq; manus Vrbs animosa suas.

Sic vtrique feris concurritur acriter armis,

Qua iacet in tristi conscia Borea solo.

Deuicti ciues, aut collo vincula portant,

Aut animam fundunt hostis in arma suam.

Sic Patris est vltus clademq; fugamq; Rodolphus,

Et ius asseruit vindice Marte suum.

Rodolphi II.

Fortibus excellens animisq; manuq; Rodolphus,

Accensus validi Martis amore fuit.

Ergo abit ad Regem florens aetate Philippum,

Cuius in arbitrio Gallia diues erat.

Quemq; laceſſebat bellis Eduardus acerbis,

Ex medio ducens Anglica signa mari.

Hic Dux militiae, Gallo tribuente, Rodolphus

Factus, honorata tam gerit arma fide.

Vt non conspicuis tantum calcaribus auro

Inde sit ad patrios ipse reuersus agros.

Sed quoque conclusam sub Regis imagine spinam

Ad ripas tulerit nobilis Albi tuas.

Innocuo Christi liuentem sanguine spinam,

Ex spinis reliquam sacra Corona tuis.

Pressa quibus, confixa quibus sunt tempora Christi,

In rigida vt lucret crimina nostra Cruce.

Hoc ceu virtutis precium sublime Rodolphus

Haec opera, haec fidi signa laboris habet.

Venceslaus

IMAGINVM

Venceslai Electoris.

Venceslaus opes post fata parentis, & agros,
Saxonicaeq; capit splendida signa domus.
Iudicis emeruit recti cognomina, Tutor
Tam solidus recti iusticiaeq; fuit.
Pontificum seuas felici Marte cohortes
Fudit in aspectu Peina superba tuo.
Victricemq; manum per eas circumtulit oras,
Vi Biuelingiacas obtinuitq; domos.
Hic tamen Albertus cecidit, Ringlingius Heros,
Qui Venceslao sanguine iunctus erat.
Lunæburgiacas sic Venceslaus habenas
Accipit, agnatus quasq; tenebat opes.
Ipse tamen diro tandem quoque vulnere laesus
Occidit ad muros anxia Cella tuos.

Rodolphi III.

Ortus Anhaltina septemuir stirpe Rodolphus
Saxonicae gladios sedis & arma tulit.
Hunc & Pontifices inter violenta simulas
Incidit, hostiles insonuitq; tubas.
Ac Madeburgensis conducto milite Praesul
Irruit in fines alte Rodolphe tuos.
Impugnatq; tui crudeliter oppida iuris,
Inclusosq; viros obsidione tenet.
Tuque superueniens properatis viribus, illum
Deicis, & ciues obsidione leuas.
Ut tandem vada Francorum tamen ipse relinquas,
In

LIBER.

In tibi promissa deueberisq; fide.

A sacro caeperis tumefacti Præsule Mæni,
Fridslaria in planis hîc vbi surgit agris.
Infelix princeps, tibi non modò vincula neuit,
Sed quoque Sors natos abstulit atra duos.
Quos, vbi de porcis Arx nomen adepta refulget,
Obruit aëriæ sæua ruina domus.

Alberti Electoris.

Obtinet Albertus, post fratris acerba Rodolphi
Funera, Saxoniti signa locumq; Ducis.
Inuenit exhaustos per fratris bella penates,
Arudaque cum laribus prorsus e gena suis.
Multū bella nocent: hostes plerumque Rodolphus
Fuderat, indè suas nil tamen auxit opes.
Quin ita consumpsit, vix vt successor haberet,
Vnde suam posset sustinuisse domum.
Vix igitur famulis stipatus quattuor ibat,
Imperij Albertus tanta columna sacri.
Hic ab Anhaltinæ descendens stipite gentis
Electoratus vltimus arma tulit.
Cum siquidem sine progenie properanter obiret,
Territus à flammis Loccha perusta tuis.
Spontè Sigismundus moderandas Cæsar habenas
Contulit has Ducibus Misnia clara tuis.

Friderici I. Electoris.

Secula bisseptem, post incunabula Christi,
Et rapidis ibant bis duo lustra rotis,
Electoris

IMAGINVM

Electoris honos gladio cum duplice quando
Ad Dominos venit Misnia clara tuos.
Hoc decus emeruit rebus Eriaericus honestis,
Mars Hussitarum cum popularet opes.
Namque Sigismundus tulit istud Caesar in illum
Stirpis Anbaltinae deficiente domo.
Fortiter Imperij quod bella tulisset in hostes,
Et praestans animis iusticiaque foret.
At licet in grauibus Fridericus viueret armis,
Immemor Aonia non tamen Arcis erat.
Hanc ex Pragensi velut extulit ille ruina,
Inq; tuos posuit Lipsia pulchra sinus.
Christus vt ante decē, bis binaque secula, & annos
Bis binos, totidem lustraque, natus erat.
Qui fouet ac placide Musarum sacra tuetur,
Vtilius Princeps nil agitare potest.

Friderici III. Electoris.

Nomen vt Elector patris Fridericus habebat,
Aemulus in dotes sic quoque patris erat.
Contudit hostiles audaci Marte Boemos,
Et rutilo tristes dispulit ere minas.
Marchiacamq; manu strauit victrice cohortem,
Quae male Saxoniam depopulabat humum
Et quae munierant fossis & mœnibus hostes,
Aequauit plano castra dirempta solo.
Ingentes Friderici animos, dextramq; potentem
Lusatia in timidis anxia sensit agris.
Sensit et in tremulis memor Albis, et horruit, vndis
Qua

LIBER.

Qua ruit ad muros vrbs Madeburga tuos.
Sensit & aduersis frater Gilielmus in armis,
In quem bella quidem ferre coactus erat.
Bella quidem gessit cum fratre coactus, at illa
Sunt auibus tandem conciliata bonis.
Frenaque per longam Fridericus auita quietem
Inde tulit, placida succubuitque neci.

Ernesti Electoris.

Functus ut ad manes ierat Fridericus auitos,
Filius ablati sceptrum decusque capit.
Teutonici Ernestus mensuram nominis implens,
Ut plerumque suum nomina pondus habent.
Ut tamen in re probos erat ille seuerus & acer,
Sic erga placidos mitis & equus erat.
Castorei Lapidis terras, Serraeque Ducatum,
Finibus adiecit Marte potente suis.
Dimidiamque in Saxonia circumdedit urbem,
Quaeque sal ad Sala flumina pura coquit.
Haudque illas obsedit iners, sed utramque coegit,
Haec faceret partes & simul illa suas.
Nec minus oblatae complexus munera pacis,
Innocua dignas pace reliquit opes.
Namque suas passim sublimia castra per oras
Struxit, & impensa regia tecta graui.
Felici genuit Fridericum sidere, rupit
Auspice quo latium Teutonum ora iugum.

Henrici Saxoniae Ducis.

Quod

IMAGINVM

Quod ferat huic etiam pietas sua præmia vitæ,
Nec tantum æthereas promereatur opes.
Principis Henrici fortuna coarguit ingens,
Quem pietura suis partibus ista refert.
Cum sequeretur enim constanti lumina gressu,
Quæ puræ monstrant religionis iter.
Quas non est hostis technas molitus in illum,
Quæ patrijs non est damna minatus agris.
At non hæc placido tantum Deus omnia nutu
Dispulit, innocuum sustinuitq; Ducem.
Sed quoque fortunis illum maioribus auxit,
Hæredem patrijs constituitq; bonis.
Quæ Dux tam iustè fratris post funera rexit,
Abstulerit patriæ nomen vt indè patris.
Huic, à Pontificum figmentis libera, debet
Misnia, quod vero nunc colit ore Deum.
Huic quoque Mauriciū virtute & Marte potentem
Debet, & Augustum Teutonis ora Ducem.

In imaginem Caroli V. Imp.

Carolus hic picta monstratur imagine Cesar,
Qui fasces tali nomine Quintus habet.
Huic aluit similem Romana potentia nullum,
Fortuna, meritis, pectore, marte, toga.
Tam varios rerum nullo sub Cesare casus
Sensit in imperio maxima Roma suo.
Lux Evangelij multos extincta per annos
Exeruit letò rursus in orbe iubar.
Gallus ad immites Ticini sternitur undas,
Inq; triumphales Rex cadit ipse manus.

LIBER.

Expugnata ruit sublimi Roma theatro,

Et Latius Praesul vincula dura gerit.

Horrida Tuneti stratam videt Aprica molem,

Teutonicasq; furor quassat agrestis opes.

Cingitur à Turcis Austrina Vienna cruentis,

Ac dolet abduetos Teutonis ora Duces.

Si periment tantū properantia fata Monarcham,

Forsthan Imperij robur honosq; cadent.

In imaginem D. Gostavi,

Suedorum Regis.

Cernere de picta qui vis sub imagine Regem,

Quo non sub gelido clarior Axe fuit.

Aspice Gostavi referentem membra tabellam,

Ac dices, Regem tam bona forma decet.

In eandem.

Ille quis est cunctis spectabilis artubus Heros,

Ardua Maiestas cuius in ore sedet?

Hic est Gostauus Sueonum Rex: cætera summis

Laudibus extollens nouit vterque polus.

In eandem.

Ex gestis animos Gostavi collige rebus,

Illius hic tantum regia membra vides.

Tales Heroum vultus, barbaeq; fuerunt,

Est neque Rex vllis Regibus ille minor.

In eandem.

Ille quis est specie reliquis sublimior, ora

Cuius amica bonis atque seuera malis e

IMAGINVM

Rex est Suedorum : satis hæc dixisse, quis amplo
Nobile Gostai nescit in orbe decus ?

In imaginem D. Erici XIII. Regis Suecie &c.

Hæc est effigies Suedorum Regis Erici,
Principis excelsi membra decora vides.
Sed neque tu, cunctos licet experiare colores,
Illius ingenium pingere Coë queas.

In eandem, Anno ætatis 24.

Vt Rex bis senos Sueonum geminauerat annos,
Os, oculos, barbam, talis Ericus erat.
Contigit ante diem cui laudatissima virtus,
Ille secuturo tempore qualis erit ?

In eandem, eodem ætatis Anno.

Cum lustris totidem viuentis quattuor annos,
Heroumque sacras equiparantis opes.
Totius hæc Sueonum species est Regis Erici,
Lumina, barba, genæ, brachia, crura, pedes.

In eandem, Anno ætatis 25.

Hæc Sueonum species Heroica Regis Erici,
Quinque suæ vitæ lustra gerentis, erat.
Emicat ex oculis animi vigor, altaque virtus,
Qualis in eximijs Regibus esse solet.

In eandem.

Ingenuos

LIBER.

Ingenuos mores & nobile pectus Erici,
Qui Sueonū & diuisceptrā parentis habet:
Insignis facies, & gratia corporis ornat,
Hæc quod Apellæa monstrat imago fide.

In imaginem D. Iohannis, Finlan-
diæ Ducis &c. Anno ætat: 19.

Dux in Finnonicis, Suecis in finibus Hæres,
Bis numerans annos post tria lustra duos,
Maximus ingenio, maior virtute Iohannes,
Corporis hic monstrat dona venusta sui.

In eandem, ætatis Anno 20.

Lustra recensentis virides bis bina per annos,
Hæredis Sueonum, Finnoniæq; Ducis.
Pectore magnifici, clari gravitate Iohannis,
Hæc faciem magna laude tabella refert.

In imaginem Magni Ducis Sueciæ.

Cur hæc effigies animos oculosq; tuentum
In se sponte rapit, nec satiare potest?
An quia de picti species & honesta venustas
Viventis mores ingeniumq; refert?
Est siquidem Gostaue tui Rex inclyte nati
Effigies, Magni qui bene nomen habet.
Qui iam nunc viridi quamuis adolescat in ævo,
Corde tamen magnos æquat ouante Duces.

In imaginem Caroli Ducis Sueciæ

IMAGINVM.

Posterior regis Gostavi Carolus haeres,
Incluta progenies, magnificusq; puer.
Eximia praestans & amabilis indole, cunctis
Rite placens, animo, moribus, ore, gradu.
Hic specie externa faciem simulante refertur,
Exprimitur nulla regius arte vigor.

AD IMAGINES FILIARVM

D. GOSTAVI INCLYTI SVEDICORVM &c. Regis.

D. Catharinae, Comiti Frisiae
orientalis nuptae.

Pictor vt in tabula Veneris deliniat astrum,
Sed vitale iubar non adhibere potest.
Sic equidem Catharina tuos pulcherrima vultus
Exprimit hic viuo docta colore manus.
Sed niueos animi mores, roseumq; pudorem,
Tu quibus excellis, pingere nulla potest.

Eiusdem.

Andromaches oculi, niuei Briseidos artus,
Alcestisq; fides, Penelopesq; pudor.
Vox Sapphus, Helenae facies, coma Laodamiae,
Immortale sacro carmine nomen habent.
Et partem Diuae modò commendantur ob vnam
Vlnas Iuno, pedes Tethys, & ora Venus.

At

LIBER.

At Catharina tibi cum sint hæc singula, partem
Quamlibet vt proprius iurè sequatur honore
Argiue cedant Heroides, vnica vincis
Cecropidumq; Deas, Cecropidumq; Nurus.

D. Cecilia, Marchioni Ba-
densi nuptæ.

Refertur in Ideo soboles Priameia collo
Vni Diuarum post posuisse duas.
Ast ego te præstans Gostau filia Regis
Cecilie, summo præfero iure tribus.
Namque tibi cedunt splendoribus, indole, forma,
Iuno potens, sollers Pallas, eburna Venus.
Si tu me placido defendas vnica nutu,
Ambitiosa trium me nihil ira mouet.

Eiusdem.

Cecilia speciem, Succis ex Regibus orta,
Hæc spectabilibus monstrat imago notis.
Vt nix frons candet, rutilant vt Phæbus ocelli,
Exuperant suauis blanda labella rosas.
Cæsaries aurum superat, Charitumq; venustas,
Et decus ex nitidis emicat omne genis.
Hæc bona naturæ pulcherrima, pulchrior ornat
Virtutum, præstans est quibus ipsa, chorus.

D. Annæ, Palatino Rbeni nuptæ.

Formarum tabulam spectans hanc arbiter, in qua
Regia progenies Anna refertur, ait.

IMAGINVM.

Hec aut Euphrosynes, aut frons est vera Thalia,
Mortales equidem non habet illa notas.

D. Sophiae.

Si spectare velis rutilantem flore iuuenta,
Sceptrifero Sophiam de genitore satans.
His oculos infige notis, quibus addere motum
Si poteris, Sophiae nobile corpus erit.

D. Elisabethae.

Hec est Helisabes, dignissima Principe, forma,
Lumina, Casaries, ora, labella, gena.
Par aetate quidem, sed dispar munere formae
Tyndaris, Aegidae cum raperetur, erat.

In imaginem Georgij Gisij Senato- ris Dantiscani posthumam.

Sic fuit exanguis post fata Georgius ore
Gisius, exuccis sic fuit ille genis.
Cum resonans ad vitam reuocabitur aere perennem,
Florenti virides exeret ore genas.

In imaginem Iohannis Boccatii Secretarij Dantiscani.

Ingenio praestans, celebris candore Iohannes
Boccatus, veteri stirpe fideque sacer.
Vt secretorum foret ille Magister in vrbe,
Quam caput agnoscit Prussia clara suum.

Vt

LIBER.

Ut foret natus supra sex lustra, tot annos,
Finxit amicitiae quot schola sacra Deas.
Ut sibi thalamo sociaret Sponsus Elissam,
Cui graue conciliant forma pudorq; decus.
Tunc ita florebat velut haec ostendit imago,
Exprimit ars formam, forma decora virum.

In imaginem Arnoldi Rosen-
bergij Iurisconsulti

Natus Agrippinae, Gallorum doctus in oris,
Rhetoris ad Scaldis munere functus aquas:
Arnoldus, cognomen habens Montisq; Rosaeq;
Luminibus, labris, pectore, talis erat.
Ut sex lustra duos vitae numeraret ad annos,
Legatique sacer conditione foret.
Scilicet ad Phrygios ut Sueci nomine Regis
Pergeret, adq; lares inde Britanne tuos.

In imaginem Olai Iacobi Curæi
Suedi, Anno ætatis 25.

Talis Olaus eram membris & fronte Iacobi,
Quinque sciens vitæ currere lustra meæ.
Teutonico peperit genitrix me Suedica patri
Calmaria, hinc in me sanguis vterque viget.

In eandem, Anno ætatis 28.

Bisseptem ac totidem gereret Curæus ut annos,
Et caput & pectus talis Olaus erat.

IMAGINVM

In imaginem Philippi Me- lantthonis.

Si tibi non licuit coram spectare Philippum,
Et quæ fluxerunt dulcibus ora fauis.
Presentisq; Dei templum, venerabile pectus,
Ingenuique oculos splendida signa viri,
Idq; caput, quod virtutum thesaurus abundans,
Et doctrinarum fertilis arca fuit.
Hoc pictoris opus circumspice, namque Philippum
Non procul à viuis vultibus illud abest.
Proximè ad externos habitus accedit, ocellos,
Et frontem, & nares, osq; genasq; refert.
Sed quod mentis opes aut representet acumen,
Nullus A pelleo stamine ducet opus.
Scilicet ingenij specimen mirabile, & alti
Pectoris, in scriptis edidit ipse suis.
Solus enim potuit proprias depingere dotes,
Has igitur notas quisquis habere cupis.
Perlege concinno quos condidit ordine libros,
Auctoris referunt hi simulacra sui.
Ex his non tantum quæ sit doctrina Philippi,
Et mens de sancta religione patet.
Sed quoque qui fuerint mores illius, & acta,
Et quæ dexteritas, totaque vita liquet.

In imaginem Henrici Clensfel- dy Dantiscani.

Vinere

LIBER.

Viveret vt celebres inter Clensfeldius Anglos,
Henricus generis spesq; decusq; sui.
Ac vitæ sex lustra super tres duceret annos,
Hac facie, his oculis conspiciendus erat.

In imaginem Philippi V Wolfij
Iudæi Baptisati.

Ista Palestina creti de sanguine gentis
Ora, genas, canos, lumina, imago refert.
Dicitus erat Felix, vt adhuc mutilatus Apella
Ferret in accisa signa prophana cute.
Sed nunc ad Christum sacro conuersus in amne,
Accepit græcum nomen Amantis equos.

In imaginem Nicolai Morionis
in aula Saxonica.

Hæc est Nicolei facies, qui Morio quondam
Saxonica præstans in regione fuit.
Cum Ducis in clara Friderici viueret aula,
Argutaque potens voce iocisq; foret.
Hic, velut æthereo commotus numine Vates,
Veridico cecinit sæpè futura sono.
Ac præcepta dedit vitam moresq; regendi,
Quæq; dedit, magna non sine laude dedit.
Parcite Romani sapientes, parcite Graij,
Hoc quoque Teutonicus Morio nomen habet.

In imaginem Bastuli.

Hæc

IMAGINVM

Hæc oculos, frontemq̄ tuam, nasumq̄, genasq̄,
Et cilia, & crines, osq̄, tabella refert.
Si tam sis lepori similis, quam Bastule stulto es,
Iamdudum canibus præda cruenta fores.

In imaginem Sisamnis.

En hominis ductam, supra subsellia, pellem,
AËtor vbi coram iudice verba facit,
Accusansq̄ reum, demensas orat ad vndas,
Inq̄ Rei duplices nomina fundit aquas.
Iudicis hæc cutis est, captantis dona Sisamnis,
Cui preciosa loco munera iuris erant.
Si nunc iudicibus, quorum sententia donis
Nititur, ad plenas dirigiturq̄ manus:
Nudari quoque deberent ita membra, tribunal
Sanguineis stratum pellibus omne foret.

In imaginem Democlis.

Iste quis est, instar quem murice Regis amictum
Stipat honorifico turba ministra choro?
Quem circumq̄, d' apes inter luxumq̄, sedentem,
Plurimus attenta fronte Satelles adest?
Sed timidis anceps ceruicibus imminet ensis,
Quem tenuis summa de trabe seta tenet?
Democles Siculo fatua cum voce Tyranno
Diceret, ô nimium vita beata tua est.
Sic illum statuit Dionysius ipse: statumq̄,
Quem tu adeò laudas, experiaris, ait.

LIBER

In imaginem Gratiarum.

Cur triplici Charites cernuntur imagine pictæ?
Officij, veteres quas statuere, Deas?
Auersoque duæ cernentibus ore videntur,
Atque modò aduersas exhibet vna genas?
An quia Maiorum nos his industria signis,
Ut veniat meritis gratia digna, monet?
Ni fallor, veteris fuit hæc sententia sæcli,
Id quod & Ascræi Musa diserta docet.
Aequali semper dum fœnore mutua reddi,
Seu quoque mensura diuitiore, iubet.

In imaginem Paridis.

Vt Paris, & Iunonis opes & Palladis, excors
Despicit, ac Veneris dona nefanda probat.
Sic pro virtutum, sceptrique nitore, Iuuentus
Stulta, voluptates desidiamq; petit.

In imaginem Ciconiæ.

Dum pia longæua tardos ætate parentes
Tollit, & in molli tergore portat Auis:
Exprimit illustrem dulcemq; Ciconia Storgam,
Qua quicumque caret, quid nisi Coruus erit?

Emblema.

Ecce vides hominem Romano more togatum,
Qui tamen armatum munijt ense latus.
Sic etiam placidæ medio sub tempore pacis,
Dura Magistratum bella timere decet.

In

IMAGINVM

In imaginem Aurei Portus gallensis.

Aurea cum verè sint secula nostra, poëtas
Quid moueat miror, ferrea vt ista vocent.
Nõnne potens validis moderatur legibus aurum
Omnia, quæ Phæbi flamma diurna videt?
Nõnne suis aurum vincit regale catenis
Omnia, quæ sicci conspicit visa Poli?
Auri mandatis obtemperat aurea virtus,
Dant auro victas fama decusq; manus.
Omnia sunt auro venalia, lexq; fidesq;
Aurum deuicti iura pudoris habet.
Aurum dotata thalamum dat coniugis, auro
Et reperitur honos, & retinetur amor.
Aurum conciliat titulos, hominumq; fauores,
Hoc ad Magnates pandit emitq; viam.
Ardentes odij flammæ, iræq; rigorem
Mitigat, ac vitium corporis omne tegit.
An sit in obscæno tam turpis corpore næuus,
Lux auri quem non oculuisse queat?
Aurum fulgenti velat deformia fucò,
Dedetis extinguit, deliciasq; fouet.
Iustus & excellens, aurum cui restat, habetur,
Huic fundit Bacchus vina Falerna pater.
Hic tyrias vestes, hic amplas possidet ædès,
Præparat huic dulces lauta culina cibos.
Hinc venit obscuris genus, hinc prudentia stultis,
Hinc decus indignis, nobilitasq; datur.
Splendidus

LIBER.

Splendidus arridet fulvi color omnibus auri,
Quid faciat sapiens, id quoque stultus amat?
Quae sint tam firmis vallatae mœnibus vrbes,
Quas auri robur non superare queat?
Omnia vincuntur, quæ mundus continet, auro,
Cumq; illud nullum posse negare putem.
Portugallensi quoque rectè impressa monetæ
Arbitror hæc veris aurea verba notis.
Hoc signo vinces. Tu scilicet omnia vinces,
Si dabis aurata talia signa manu.

In eandem.

Omnia conciliat, conseruat, & obtinet Aurum,
Dat, fouet, exuperat, fulcit, adauget, alit.
Iungit amicitias, inimicos mulcet & iras,
Euehit ad titulos, iusq; piūq; regit.
Auro dantur honos, amor, ornamenta, fauores,
Ingenium, nomen, gratia, forma, genus.
Non malè: In hoc signo vinces: hic Aureus ergo
Exprimit, hæc donans munera victor erit.

AD IMAGINES QVÆ RVNDAM VIRTVTVM.

Prudentiæ.

Dux ego Virtutum prudentia, præter honestum,
Quicquid ago & conor, conor agoque nihil.
Vitanda

IMAGINVM

Vitandas fugio res, amplectorq; sequendas;
Aq; Malo cauta partior arte Bonum.
Aggredior sine consilijs nihil ipsa, bonisq;
Consilijs alios pro ratione iuuo.

Iusticie.

Iusticia equales conseruo per omnia normas,
Et tribuo nocuis, innocuisq; suum.
Non cuiquam noceo nec vi nec fraude nec astu,
Nil nisi recta volo, nil nisi recta probo.
Famam, corpus, opes, mundus me salua tuetur
Vindice, non paruum robur hic ensis habet.

Temperantie.

Corporis & motus animi bene tempero, nomen
Inde meum, virtus sobria, casta, gero.
Lege voluptates, potumq; cibumq; guberno,
Munus vt impediat crapula nulla tuum.
Recta valetudo Duce me viget, agra recedit,
Quod bibo, frigenti misceo fonte merum.

Fortitudinis.

Fortis ego virtus, animis excelsa, potensq;
Non fugio vitæ seua pericla mea.
Vt tuear patriæq; lares, cætusq; piorum,
Contra vim, miseris auxiliumq; feram.
Legitimas in me præstans ciet impetus iras,
Pro patria vt flagrem iusticiâque mori.

Concora

LIBER

Concordiæ.

Res ut ego faciam Concordia crescere parua.
In requie cætus contineamq; pios.
Ut caueam, ne quassetur Respublica turbis.
Non de re pugno congredivorq; leui.
Alterius nauos fero, nec delicta recordor.
Et rapidas iræ mulceo blanda faces.

Libertatis.

Aurea Libertas ius largior omnibus equum.
Et nullos soliti legibus orbo fori.
Contractus populis, commerciâque integra seruo.
Seruitiq; manu frango potente iugum.
Quemq; suis sino diuitijs & honoribus vti.
Da crines rase pilea grata mihi.

Pacis.

Pax ego sum custos, propagatrixq; fidelis.
Doctrinæ Christi, noticiæq; Dei.
Pax ego iudicijs & honestis legibus orbem
Sustineo, per me iusq; pudorq; vigen.
Pax ego cuique suos tueor fundosq; laresq;
Ex olea capiti ferta parate meo.

Eiusdem.

Pax hedera Bacchum, Cererem pax ornat aristis.
Sed Mars & vites & populatur agros.
Vomere scindit humum, purgat Pax falce racemos.
In gladios falces Mars & aratra coquit.

IMAGINVM.

Pax suavi cithara, lituis Mars gaudet acutis,
Hinc oleæ meritò Pax gerit alma comas.

AD IMAGINES SEPTEM ARTIVM LIBERALIVM.

Grammaticæ.

Est mihi Grammaticæ nomen, fundamina pono,
Ad quæ bonas artes præuia monstro viam.
Trado notas, animi quibus effert dextera sensum
Nec dubijs linguæ plectra resoluo modis.
Ut rerum facili pandat sermone recessus,
Noticiam quarum crebrior vsus alit.
Prima elementa probè doceo connectere, monstro
Ut sonet accentu syllaba quæque suo.
Hæc cur ascendat, cur decidat altera: per me
Omnia vim recti verba decoris habent.
Ordine dispositas ex his ego construo voces,
Ut faciant plenos integra membra sonos.
Ergo ades, & vigili me disce labore Iuuentus
Polliceor studijs præmia digna tuis.
Aptior ad reliquas eris & propensior artes,
Te faciam rerum cognitione grauem.
Ut placida mores ornans pietate venustos,
Ad laudem vertas omnia facta Dei.

Dialecticæ.

Nunc per illustri Dialecticæ nomine, tollunt
Prudentes celebri nomen honore meum.
Me

LIBER.

*Me Deus humanis insculpsit mentibus, ipsas
Ut moneam recto tramite cuncta sequi.
Non ego fucatos rerum tibi vendo colores,
Illas simplicius me docuisse iuuat.
Ac illud certo breuioribus ordine verbis,
Artes utiliter quo sine nemo docet.
Exuo fallaci sceleratos veste Sophistas,
Detecta quoque graues fraude repello dolos.
Hoc solum mihi suaue, mea est hæc vna voluptas,
Eruere ex dubijs nil nisi plana vjs.
Perque vices animi placidè meditata referre,
At rixas odio persequor ipsa graui.
Leges ergo meas, acuentes sensa virorum,
Disce puer, vanus non labor iste cadet.
Non trahet à veris species te subdola rebus,
Indecores fucos certa ruina manet.*

Eiusdem.

*Non sequor ingenuas longis ambagibus artes,
Hinc me contractam cernis habere manus.*

Rethoricæ.

*Rhetoricen docti græco me nomine dicunt,
Eloquor ornatis omnia verba modis.
At quibus innitar, præstat Dialectica neruos,
Vestiores, nudas quas dedit illa mibi.
Excultis nitidos sermonibus addo colores,
Quos suus aspersis floribus ordo iuuat.
Induo splendorem verbis, et pondera rebus,*

D ij

Eloquij

IMAGINVM

Eloquij de me copia larga fluit.

Nunc me diuitia, cumuliq; sequuntur honorumq;
Hac ego cultiores eueho dote meos.

Qui per me grauibus moderantur publica frenis
Munera, seu pacem, seu status arma petant.

Doctores nulla possunt me parte carere,
Qui resonant summi iussa beata Dei.

Hi per me cætus ducuntq; docentq; piorum,
Auxilioq; mouent tota Lyceæ meo.

Sic omnis status, & mundi res totius omnes,
Sic Duce me florent, Curia, templa, Scholæ.

Musica.

Musica sum, celebri quis me non tollit honore?
Cui non sunt operis munera grata mei?

Afficio suauis Superum dulcedine mentes,
Cum repleo angelicis cœlica templa sonis.

Per me sancta Deo grates Ecclesia soluit,
Ipsius & merita nomina laude vebit.

Per me, vexatum David Cacodæmone Saulem
Composuit: vires Styx timet atra meas.

Per me, flagrantem Pelides sopyt iram,
In læso rapidas deleo corde faces.

Corporis vt releuat sæuum medicina dolorem,
Mollio sic duras pectoris ipsa cruces.

Per me, vagitus puerorum sedula nutrix
Sedat: in Infantum pectore sceptræ geræ.

Auspice me, nantem suscepit Ariona Delphinæ,
Orpheus me traxit ligna ferasq; Duce.

Exacto

LIBER.

Exacuo sensus, exuscito corda, labores
Lenio: me pubes discat, amentq; senes.

Eiusdem.

Celitus orta, Dei laudes & facta recenset,
Multiplices varians Musica grata modos:
Seu canat angelicis operosus vocibus æther,
Seu studijs hominum templa chorusq; sonent.

Arithmetice.

A numeris Græci mihi nomina clara dedere,
Latè commoditas & mea fama patet.
Ut cum laude queat rectè procedere, ductus
Auxilioq; meo sacra Mathesis eget.
Tempora distinguo, labentes partior annos,
Describo menses, distribuoq; dies.
Omnia quæ facio rata sunt, non fallere novi,
Si modò ritè meum perficiatur opus.
Me Duce, sublimi floret Respublica laude,
Meq; sacri cultus ordo carere nequit.
In cunetis habeo partes contractibus amplas,
Hic quis mercator non mihi testis erit?
Quin etiam debet mihi cura domestica multum,
Ut caueat monitu plurima damna meo.
Quod si me studio domus vlla sequetur inertis,
Iacturam miseri sentiet ista Laris.
Vos igitur pueri teneris me discite ab annis,
Hinc vos utilitas, inde sequetur honos.

Geometrie.

ij

Rin

IMAGINVM

Ritè Geometriam græca me voce salutant,
Legitima terræ metior arte globum,
Hunc ego solerti radj definio ductu,
In varias orbem distribuente plagas.
Regula sum, per quam terræ cognoscere molem,
Iugeraque & valles & iuga celsa queas.
Per me, quod spacium distantes separet oras,
Per me, quæ tempus ponderet hora, scies.
Ex me subsidium numerorum prouenit Arti,
Hanc quoque, quæ visu præstat agitq, iuuo.
Me Duce, conscendes lucentis in atria cæli,
Aetheris obliquas perspiciasq, vias.
Organa disparibus fabrico subtilia formis,
Mira quibus fieri constituique vides.
Qui solerte velit quicquam componere dextra,
Mæque meisq, bonis ille carere nequit.
Artibus in cunctis virtus mea lucet, honoro,
Illius ostendens facta stupenda, Deum.

Astronomiæ.

Peterunt meritò veteres mihi nomen ab astris,
Sidereas acri lumine scrutor opes.
Me inuat æthereos altam volitare per orbis,
Et mundi varias indè notare vices.
Ordino voluentis motus & tempora cæli,
Impiger vt certis cursibus annus eat.
Dinumero menses, noctes secerno diesq,
Vt, cum sint similes, dissimilesue, scias.
Fluctus quando vagos maris intrèt, quando resurgāt,
Quas

LIBER.

Quas habeant vires sidera quaeque noto:

Vaticinor casus anni frugesque sequentis,

Si venient pluuia, fulmina, grando, nives.

Si ieiuna fames, si pestis acerba, cruentus

Si Mauors, orbi damna timenda, dabunt.

Praecino defectus Lunae, Solisque labores,

Et quid natalis cuilibet hora ferat.

Omnia quid referam, quae rerum praescia pauido?

Qui mea contemnit nuncia, mente caret,

ALIQVOT TORMENTA BEL
lica apud Dantiscanos.

Elephas.

Trux Elephas forti quoscunque proboscide tango,

Affligo grauiter, fulminis instar, humi.

Gryps.

Cui non est rapidi violentia cognita Gryphis?

Per resonum arreptos aëra spargo viros.

Leo.

Indomitos saxis ita sterno volantibus hostes,

Vt Leo collectas dissipat acer oues.

Cercopithecus.

Platibus ignitis ego Cercopithecus in hostes,

Qui Gedani accedunt mœnia celsa, feror.

Draco.

Ex puo terrificos saxis cum grandibus ignes,

Dispergoque tuas hostis inique manus.

Idem.

IMAGINVM LIBER

Idem.

Saxifragis rapidas cum glandibus euomo flammam,
Hosticâque ignitas iactô per ora faces.

Salamandra.

Nutrior in flammis viuens, hinc euomo flammam,
Cum grauibus, belli pars Salamandra, globis

Lupus.

Vt deserta Lupus violenter ouilia maectat,
Sic rapido aduersos impete frango viros.

Canis.

Machina sum belli, Gedanique ministra fidelis,
Hostilesque graui saucio dente pedes.

In imaginem propriam.

Terdenos simul ac septem Mollerus vt annos
Ingrederer, medio corpore talis eram.

Tempore quo Gedanae moderarer pubis habenas,
Editus in terris Hassia clara tuis.

Ad Vicenbusiacas, vbi cornua bina Gelistri
Excipit ingenti fauce Vierriba, domos.

FINIS.

Postul De festi LVClæ Casta, s'Vsanna,
DICTÿr In Lectos, Halntzeler, Isse tV,
105.

AB 58731

ULB Halle

3

003 083 586



56





HENRICI MOL-
LERI HESSI
IMAGINVM
LIBER.



Excusus Dantisci in offi-
cina Iacobi Rhodi.
1566.

